




Index im Buch 1676.









M

1677

4

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ

JURIS CIVILIS

&

CANONICI,

IN ELECTORALI SAXONICA

PUBLICE PROPOSITA

PRÆSIDE

JO. FRID. SCHARFIO, J.U.D.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO KEMPIO,

H. L. Q. C.

AD D. XXIIX. APR. cIs Isc LXXVII.




WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.



ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ
JURIS CIVILIS
&
CANONICI
IN ELECTORALI SAXONICA
PUBLICE PROPOSITA
PRÆSIDI
JO. FRID. SCHARFIO JUD.
RESPONDENTE
CHRISTOPHORO KEMPIO
M. D. C.
AD D. XXIX. APR. MDCXXVII.
KILFINGEN
Typi JOHANNIS SIGISMUNDI Steubneri.





I.

JURIS CIVILIS

§. 1.

Probationum materia licet nulla indigeat commendatione, sed ipsa in quotidiana Judiciorum praxi liquidò satis se ostendat, ut de in integr. restit. judicat Ulpianus in l. 1. de in integr. restit. illius nihilo tamen minus utilitatem juxtim ac necessitatem præclare comprobant § 4. Inst. de interd. l. 4. C. de edend. l. 9. C. de O. & A. l. 2. & 23. C. de probat. junct l. 30. de T. T. c. pen. & ult. c. 30. q. 5. c. f. c. 32. q. 5. textusque alii, cum invidiosa

Doctorum multitudine, quos longa serie in primis producant Marfilus *sing. 570. n. 1.* & Josephus Ludovicus *conclus. 3.* Est autem probatio, quatenus hæc vox pressius accipitur & ad judicia quæstionesque facti refertur, actus judicialis (α), quò litigantes judici de facto controverso vel re dubia alia per legitima argumenta fidem faciunt. Πᾶς γὰρ ὁ πιστευμένος τι καὶ γνώριμον βεβλόμενον ποιῆσαι, ἐξ ἄλλης ἢ ἄλλων τὸ πισθεῖται. αὐτὸ γὰρ ἐξ ἑαυτοῦ ἑδὲν δείκνυται καὶ πισθεῖται, ἐπεὶ πάντ' ἀνέστως ἢ πιστά, ut acutè ratiocinatur Alexander Aphrodis. in 1. Prior. c. 5. pag. 17.

α Amplianda paulisper vocabula, ut & illi actus, qui litis contestationem antecambulant & quasi præparatorii sunt, insimul comprehendantur: alioquin enim, cum judicium demum per litis contestationem constituatur l. unic. C. de lit. contestat. l. 13. rem rat. haber. c. 30. X. de V. S. isti tantum actus, strictè loquendo, dicuntur judiciales, qui litis contestationem insequuntur.

§. 2. Illa argumenta (β) Doctores, Aristotelis 1. Rhet. 2 v. 5. Ciceronis Top. 2. & Quintiliani §. Institut. Orator. c. 2. prementes

A 2

vesti-

vestigia, communiter constituunt duplicia, artificialia & inartificialia; atque hinc, tanquam à causa instrumentali, ipsam probationem artificialem partim, partim inartificialem. Artificialia existimantur, quæ arte & industria probantis ex ipsa causa ejusque circumstantiis deducuntur & secundum artis præcepta tractantur: suntque iterum vel necessaria vel probabilia: illa desumuntur ex principiis naturalibus, & veram rei scientiam; hæc ex verisimilibus, ac præsumptiones dumtaxat inducunt. Inartificialia habentur, quæ extrinsecus ad aliquid probandum adsumuntur, licet & ipsa postmodum arte tractentur, qualia censentur testimonia & instrumenta.

β Latiùs acceptâ hâc voce: Vid. Robert. 4. *sentent. c. 1.*, non ut in c. 10, X. de V. S. & apud Isidorum *Orig. lib. 18. c. 15.* de quibus libris evolvi meretur David Blondellus, in Pseudo-Isidorô suô, incomparabili illo Historiæ Ecclesiasticæ Thesaurô, *prolegom. c. 2. p. m. 11.*

§. 3. Instrumentum igitur quod attinet, denominatur illud ab instruendo, & inspectâ hâc nominis Originatione, in generalissima significatione denotat $\pi\alpha\acute{\nu}\tau\alpha \epsilon\kappa\epsilon\kappa\alpha\tau\alpha$, omne, quod aliquid instruitur, quodque alicujus usui intervrit: $\tau\acute{o} \epsilon\pi\iota\tau\iota\nu\alpha \tau\eta\nu \alpha\nu\alpha\phi\omicron\rho\epsilon\iota\chi\omicron\nu, \kappa\alpha\iota \epsilon\tau\acute{o} \tau\epsilon\lambda\epsilon\theta\omicron\varsigma, \pi\epsilon\rho\varsigma \tau\eta\nu \alpha\lambda\lambda\omega\nu \epsilon\upsilon\rho\epsilon\sigma\iota\nu \tau\epsilon \kappa\alpha\iota \sigma\upsilon\tau\alpha\sigma\iota\nu \sigma\upsilon\tau\epsilon\lambda\epsilon\theta\omicron\nu, \Delta\iota\alpha \tau\acute{\upsilon}\tau\omicron \sigma\pi\epsilon\delta\acute{\alpha}\zeta\epsilon\tau\alpha\iota, \acute{o}\rho\gamma\alpha\nu\omicron\nu \epsilon\kappa\epsilon\iota\nu\omega\nu \epsilon\varsigma\iota\nu$, ait Alexander Aphrodis. *præfat. in 1. Prior.* Usus enim veluti norma est & mensura instrumenti, usque adeò, ut naturam instrumenti exuat, quicquid $\acute{\alpha}\chi\rho\iota\sigma\omicron\nu$, 1. *Polit. 2. 4. Meteor. ult. 1. de part. animal. 1. 2. de generat. animal. 1.* Signanter iterum modò, sed nunquam satis, laudatus Peripateticorum scientissimus in 1. *Prior.* $\omega\alpha\nu\tau\acute{o}\varsigma \acute{o}\rho\gamma\alpha\nu\omicron\varsigma$, inquit, $\mu\epsilon\tau\epsilon\theta\omicron\nu \eta \chi\rho\epsilon\iota\alpha, \eta \pi\epsilon\rho\varsigma \tau\acute{o} \upsilon\pi\prime \acute{\alpha}\upsilon\tau\acute{\epsilon} \delta\epsilon\iota\kappa\nu\mu\epsilon\nu\omicron\nu \tau\epsilon \kappa\alpha\iota \gamma\iota\nu\acute{o}\mu\epsilon\nu\omicron\nu.$ $\tau\acute{o} \delta\epsilon \mu\eta\kappa\epsilon\tau\iota \chi\rho\epsilon\iota\alpha, \epsilon\delta\prime \acute{o}\rho\gamma\alpha\nu\omicron\nu \epsilon\iota\eta. \tau\acute{o} \gamma\alpha\rho \acute{\alpha}\chi\rho\iota\sigma\omicron\nu \sigma\kappa\epsilon\pi\alpha\rho\omicron\nu \tau\acute{\omega} \tau\epsilon\kappa\tau\omicron\nu\iota, \epsilon\kappa\epsilon\tau\iota \sigma\kappa\epsilon\pi\alpha\rho\omicron\nu, \acute{\alpha}\lambda\lambda\prime \acute{o}\mu\omega\nu\acute{\omicron}\mu\omega\varsigma.$ Hac ratione dicuntur instrumenta domus & fundi, quibus domus fundusve instruitur, ut respectu illius, tempestatis arcendæ aut incendiî causâ; hujus, fructus quærendi, cogendi, conservandi gratiâ parata l. 12. §. 16. l. 8. §. 1. de *instruēt. vel instrum. leg. ibidemq; Dd. communiter.* Conf. Ant. August. 2. *Emendat. 2.* & singulatim *culinarum Justin.*

Justin. 38, 10, 4. balinei, Vell. Patroc. 2, 114, 2. pistrini, l. 6. de pen. leg. pictoris, l. 17. pictoris, piscatoris, balneatoris, pr. §. 1. & f. cod. lanionis, l. 18. pr. de fund. vel instrum. legat. hibernorum J. Cas. 5. de B. G. 31. cauponia, l. 43. §. 9. de ritu nupt. & quælibet supellex, l. 1. de supell. leg. Just. 15, 1. 8. 2, 7. 21. §. 2. belli, Curt. 9. 3, 11. crudelitatis, 6, 11, 13. & c. Hòc intuitu filius patri, servus Domino, subditus Imperanti instrumentum vocatur H. Grotio 1. de J. B. & P. c. ult. (γ) & Philosopho 2. de anima c. 4. ὄργανα τῆς ψυχῆς πάντα τὰ φυσικὰ σώματα; juxtaq; Straton. Lampis. lib. de spiritu c. 9. καὶ αἱ τέχναι καὶ ἡ φύσις χρῶνται τῷ πνεύ, ἀλλ' αἱ μὲν τέχναι ὡς ὄργανω, ἡ δὲ φύσις ἅμα καὶ ὡς ὕλη. Add. Donell. Comment. 25. cap. 10.

γ Quem ob id contra Feldenum in annotatis defendit celeberrimus Bœclerus, Fautor ac Præceptor olim meus benevolentissimus, in H. Grot. l. 1. de J. B. & P. c. ult.

§. 4. Nobis hoc loco forense vocabulum est & ad judicia pernet, illaq; media, quibus causa in judicium deducta instrui, Judicique de re controversa fides potest conciliari, complectitur. Et quidem vel generaliter cum scripturis testes quoq; aliasq; probationum modos l. 1. de fide instrum. l. 99. de V. S. junct. l. 7. de feriis, l. 1. C. de dilat. c. 4. X. de testib. cog. frustra enim sunt, & sine Numine hariolantur, quicunque in d. l. 1. h. t. per testes non ipsas testium personas, sed testimonia, examinatis testibus in scripturam redacta, intelligunt; vel concisiori significatu, exclusis testibus, tabulas tantum seu scripturas, publicas privatasque, *Brieffliche Urkunde / Documenten oder Schriften* l. 5. in fin. C. de transact. l. 4. & 5. C. de probat. l. 17. C. de fid. Instrum. & arg. divers. tit. in d. C. N. & X. de test. & fid. Instrum. vel denique καὶ ὁπεροχὴν publicas solummodo l. 1. C. de jurej. propt. calumn. l. 11. C. qui potior. in pign. l. 11. §. ult. de interrog. in Jure. Clem. 1. de procurat. utpote quæ modo quodam eminentiori causas instruunt, fidemq; plenè & in excellentiori gradu faciunt, adeò ut etiam hac consideratione privatas scripturas nonnullam tantum instrumentorum vicem obtinere profiteatur Scævola l. 29. de probat. quam tamen ultimam vocis acceptionem usu apud nos haud observari, testatur D. Hahnus ad Wesenb. n. 1. verb. propriissimè, quum publicæ literæ non simpliciter *Urkunde* /



sed cum adjectione offene Urkunde oder offene Instrumenta appellari soleant (δ). Interdum pro solis Notariorum Instrumentis acceptari auctor est Menochius *lib. 1. de presump. q. 1. n. 9.*

(δ) Vid. Constitut. MAXIMILIANI von den Notarten zu Cölln de Anno 1512. pr. vers. aber nachdem/ *ibi*: durch glaubwürdige offene Urkund.

§. 5. Ex his non erit obscurum, Bachovium, Hahnium, aliosq; à Wesenbecio arbitrante (ε), publica dumtaxat instrumenta propriè, privata verò non temerè, nec nisi impropiè, in Jure hóc nomine censerì, cum causa fecisse secessionem. Primò enim *ex d. l. 17. C. h. t. l. 5. C. de probat. §. l. 21. C. de fals. l. 17. C. si certum petat.* abundè clarescit, privatas quoq; scripturas, probationis ergò confectas, in Jure exsertim instrumenta appellari. Deinde ἀναλογίως ratiocinaretur, quicunq; ex eo, quod publica καὶ ἔξοχὴν & in gradu eminentiori hác appellatione superbiant, privata non nisi impropiè ita vocari colligeret. Sanè & Homerus apud Græcos, Virgilius apud Latinos §. 2. *Inst. de J. N. G. & C. ἑξαπέτως* dicuntur Poëtæ; nemo tamen facilè dixerit, cæteros omnes ob id impropiè Poëtæ esse (ζ). Posset hoc ipsum etiam illustrari uberius exemplo Theologicò ex 1. Gen. 1. nisi fori obstaret incompetencia, & nefas esset, ut Plutarchus loquitur, ἐν ἀνοσιβήτη χορῶ πόδα τίθει. Scilicet vocabulum Instrumenti est inter ea, quæ Græcis τὰ ὄργανα εἰν (liceat heic cum Ammonio τὰ ὄργανα εἰν ἀπὸ τέλους, καὶ τὰ ἀπὸ εἰνὸς ἀπὸ ποιητικῆς τινὸς αἰτίας distinguere) nominari consueverunt: & quidem sigillatim, quæ sunt talia naturæ mediæ h. e. neq; Synonymis propè accedunt, neq; Homonymis sunt viciniora; sed quorum primarium eximiè planè omnibusq; numeris est tale, nihilò tamen minus & reliqua sunt talia, imperfectiori licet modo paucioribusq; numeris. Fortè excusatus etiam erit Wesenbecius *d. T. II. de Fide Instr. p. 1.* si distingvas inter τὴν ἀληθειαν καὶ ἀναλογίαν, cum exsertè ad *L. 5. C. de Fide Instr. verb. instrumentis; fol. 316.* scribat: *Quæcumq; causam instituunt l. 1. de fide instr. l. 99. de V. S. quare non modo in publicis sed etiam in privatis instrumentis & scripturis hanc intelligo, ut si debitor chirographo suo se debere sit contestatus: id enim probat plenè contra scribentem l. 26. §. f. depositi.* Hæc Ille: ubi Jctorum Jctus tantum fidei, positis terminis habilibus, priva-

privatis instrumentis, quantum publicis attribuit; de quo & §. 9. seqq.
Alii distinctè in hac quæstione procedunt, & ex communi loquendi
usu privatas scripturas sub instrumenti appellatione contineri ne-
gant; secundum propriam vocabuli significationem verò conce-
dunt; utrorumq; longum catalogum contexit Nicolaus de Passeri-
bus, *tr. de privat. scriptur. l. 1. p. m. 81. seqq.* dignus omninò, qui vi-
deatur.

e. Quod jam antè etiam arbitratus Alciatus, *ad l. 99. de P.
§. n. 17.* Corneus, *ad l. 1. b. Imola, ad Clement. 1. de procurator.*

§. Conf. 3. *Polit. 1. ibiq; Commentatores.*

§. 6. Quicquid verò tandem hujus sit, in tit. Π. C. & X. heic
secunda vocabuli acceptio attenditur. Sed quam Statuta, si illud
inibi simpliciter positum adinveniat, recipiant commòdè, anceps
est quæstio & in utramq; partem à Jctis arbitrata. Wesenbecius
b. n. 2. (& antè *d. l. n. 18.* Alciatus,) cumq; eo ibidem Hermann.
Herm. Treutlerus *disp. 5. th. 1. lit. b. Wibel. de Contract. Mulier. § 8.
n. 134.* Bornit. *de instrum. l. 1. c. 2. n. 5.* in illorum quoq; interpretatione
secundam generaliter acceptat, quum sit propria adeoq; Statutis
cum primis conveniens. Lanfrancus de Ariadno ejusdem quidem
cum Wesenbecio est sententiæ, sed in probandi medio diversus.
(n) Ipfus enim concedit, sicubi duplex verborum acceptio, propria
& communis, in Statutis occurrit, illa non secundum propriam,
sed communem esse interpretanda; at propriam Instrumenti ac-
ceptionem primam esse, secundam communem contendit. *Signi-
ficatio enim vocabuli* (sunt verba ipsius n. 2.) *sumitur ex allusione
vocabuli, quod dicitur ab instruo, quia instruit causam, quæ instructio
ita fit per testes, sicut per Instrumentum, & ita testes eq; benè conveni-
unt vocabulo, ut contineantur appellatione Instrumentorum, sicut &
ipsæ chartæ.*

n. Lanfr. de Ariadno *tract. de Instrum. fide & product. n. 2.
& 3.* sequutus Joh. de Imola *in rubr.* & Jacob. Butrig. *ad l. 1. b. t.*

§. 7. Excusamus priùs curatiùs paulò utriusq; fundamentum,
subjecturi deinceps, quid nobis ex legibus bonæ interpretationis
dicendum videatur tutius. Wesenbecius Jctus de Jurisprudentia
nostrâ longè meritissimus, ita videtur colligere: Omne vocabu-
lum in Statutis positum accipiendum est propriè; E. & vocab. In-
strum.

strum. aut propria Instrum. acceptio est secunda, secludens testes;
E. in Statutis quoque illa erit præripienda. Major in primo Syllo-
gismo ita crudè & generaliter concepta vix obtinebit. Quantumvis
enim Statutorum conditores Juris & verborum non rarerent sint peri-
tissimi; attamen quum illa condant civibus suis, & verò horum pars
maxima Juris ejusque priorum verborum sit imperita: οἱ μὲν πολλοὶ
τῶν ἀνθρώπων τὰς φύσεις τῶν πραγμάτων ἐκ οἰδότες, καὶ περὶ τῆν
τῶν ὀνομάτων ἕστιν ἐξ ἀνάγκης ἀμαρτάνουσιν, ait Philo Judæus (θ)
ἀνθρώπων ὁ Πλάτωνος, ἢ οὐκ ἐπιληθῆς, ἢ ὑψηλῆς τις εἶναι δόξας, ἀλλὰ
τὸ τῆς φράσεως ὑψῆς: ἐρρέθη γὰρ παρ' ἐαυτῶν, ἢ Πλάτωνος ἐφι-
λώνισεν, ἢ φίλων ἐπλατώνισεν, (ι) huic potiori civium parti ejusque
communi captui in conceptione Statutorum conditores illorum
se accommodasse, adeoque in dubio communem magis verborum
acceptionem observare, quam nimie illorum proprietati sollicitius
studere voluisse non sine ratione censentur. Jcti nimirum pin-
gvius interdum ad vulgi captum loquuntur, (κ) tritisque utuntur
verbis, ut, quemadmodum de Gratiano loquitur Ant. Augustinus,
(λ) omnibus prodesse possint. Et quando Statuta à Dd. in pro-
prio significato dicuntur accipienda, propriam significationem
proprium & communem loquendi usum intelligimus, neque Sta-
tuta ultra statuentium intentionem & mentem interpretamur.
Est heic argumentum, ait Zasius gravissimus Auctor, (μ) *Statuta,*
quæ sunt Jura civilia cujusque civitatis, non ita ad rigorem & acerbi-
tatem coarctari debent, quin, si res exigat, ex æquo & bono exaudiri
debeant; quæ est notanda Doctrina & multum salis confert ei, quod
vulgò dicitur, Statuta esse proprie & ad unguem intelligenda.
Graviter Aristoteles: ἀμαρτία, τὸ παραβάλειν τὴν κειμένην λέξιν
καὶ ἀλλοτρίοις ὀνόμασι τὰ πράγματα πρὸς αὐτὰ γορεύειν. Χρήσιμον
δὲ καὶ πρὸς τὸ κατασκευάζειν καὶ πρὸς τὸ ἀνασκευάζειν, οἷον ὅτι ταῖς
μὲν ὀνομασίαις τὰ πράγματα πρὸς αὐτὰ γορευτέον, κατὰ περὶ πολλοί.
(ν) Certè sanctissimos quoque Prophetas, & ipsum Salvatorem
nostrum cum suis Apostolis hanc καταβάσει καὶ τρόπῳ ἀπαγγε-
λίας ἔτα ἀληθῆ μόνον πρὸς αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ δυναμένης ἐπαγγε-
γέα τῆς πολλῆς, ἕως πρὸς ἅπαντες καὶ εἰσαχθέντες ἕκαστος κα-
τὰ δύναμιν ἀναλάβωσιν, ἐπὶ τὰ ἐν ταῖς δοκίμασι εἶναι εὐτελεσι λέ-
ξεσιν, ἀπορρήτως εἰρημένα, usos fuisse, ex Sacris Pandectis noto po-
tius

tius est, & contra Celsum monuit vir ingenio stupendo, eruditione diffusâ, labore incredibili, χαλκέντερον Alexandrinorum Episcopus Origenes, lib. 6. atq. 7. (θ) Philo Judæus lib. de Agricult. in pr. (ι) Isid. Pelus. lib. 3. ep. 81. p. 253. (κ) Alb. Gentil. de divers. temp. appellat. c. 13. p. 134. (λ) Anton. August. l. 1. de emendat. Gratian. Dial. 1. circa fin. (μ) Zasius ad l. 1. de Just. & Jur. n. 22. (quem etiam vide ad l. 11. de in jus voc. n. 5. seqq. & l. 13. §. 3. de damn. infect. n. 2.) (ν) Aristot. 2. Top. 1. §. 5. & c. 2. §. 5. Conf. l. 6. & l. 7. §. ult. de supell. leg.

§. 8. Atque hinc est, quod vocabulum pignoris & hypothecæ in Statutis regulariter accipiat in latâ significatione. Illi, qui nec testamentum condiderunt, nec condere potuerunt, non obstante, quod intestabiles potius secundum verborum proprietatem, quam intestati appellari deberent, (ξ) nomine tamen intestatorum in Statutis veniunt arg. l. 6. C. de supell. leg. Dos promissa, quamvis propriè dos non sit, Statutum tamen vel pactum inter conjuges de lucranda dote ad illam quoque extendatur arg. l. 9. C. de pact. convent. Statutum de procuratoribus conceptum intelligatur quoque de cessionario, licet accuratè loquendo hic talis non sit. Sic licet per epistolam quis propriè non loquatur arg. l. 75. pr. de Legat. 2. quia tamen epistola est quasi os vicariū & lingua subsidiaria, scripturaque & sermo in effectu paria videntur, arg. c. 4. X. de jurej. l. 38. de O. & A. & inter se fermè non differunt aliter, quam pecunia, quæ dextrâ, ab eâ, quæ sinistra manu alicui est annumerata, adeoque per epistolam æque ac loquelam contra Rempubl. scelestafactio iniri potest; id propter legem municipalem, in collocutores cum Reipubl. hostibus, quales etiam proscripti & transfugæ l. 3. §. fin. de sicar. insignitiùs animadversuram, ad eos quoque, qui per epistolam cum iis eadem de causâ agunt, cum Ludovico Romano in l. 1. de V. O. ἀναλόγως extendit Corasius l. 1. Miscell. 24. n. 1. 2. 3. jung. Vincent. Caroc. decis. 91. n. 7. & 8. Ludov. Zuntus in responso pro uxore n. 881. Vasq. de success. tom. 1. lib. 2. §. 15. requis. 16. n. 57. seqq. Libanus Orat. ad Eustath. de honorib. p. 562. & Orat. advers. Adsid. apud Magistr. p. 114. ubi ostendit, γραμματα γιγνόμενα ἀντὶ τῆς γλώττης, καὶ πλείον ἐν οἷς δύναται γραμματεῖον διθύρων πολλῶν καὶ μακρῶν λόγων ἐγγύθεν λεγομένων, adeoque prohibitis per LL. (ο) ad Magistratum privatorum accessibus, prohiberi quoque τῶν ἐν λαμπρῶν

B

τέρω



τὴν τὰξιν ad eosdem epistolas. (ξ) Confer, si placet, Cujacium ad §. 6. 7. de Test. ordin. Carol. Annib. Fabrotum, Jctum immortalem, cujus scripta omnia auro contrà cara æstimantur τοῖς μεμνημένοις, ad Theoph. eod. Philip. Caroli ad Gell. 6. 7. Salmasium ad Jus Atticum c. 30. & Jacob. Gothofr. ad L. XII. Tab. 7. (ο) Vid. l. unic. §. fin. de L. Jul. Ambitus.

§. 9. Adhæc, ponamus, Majorem in dicto Syllogismo concludere; nondum tamen exinde sua constabit veritas consequentiæ in Syllogismo altero. Unde enim probabitur, secundam instrument. acceptionem tantum esse propriam, non primam? Strictior equidem illa, at hæc ex eo ἀσυλλογιστως diceretur impropria. Certè quod nec prima illa & latior instrumenti acceptio à vera verbi proprietate abhorreat, patet ex l. 1. h. tit. l. 99. de U. S. cap. 4. X. de testib. cog. Adde Alber Gentilem ad d. l. 99. & Menochium Cas. 63. n. 6. cent. 1. de arbitrar. Jud. quest.

§. 10. Lanfrancus de Ariadno (π) ita ratiocinatur: Cujuscunque vocabuli datur duplex acceptio, propria & communis, illud in Statutis est interpretandum non in propria, sed communi arg. l. 2. §. 4. de legat 3. Atqui vocabulum Instrum. duplex datur acceptio, propria, quâ testes includuntur, & communis, quâ excluduntur. E. & vocab. Instrum. in Statutis non interpretandum est in propriâ, sed communi, adeoque testes non includendi, sed excludendi. Verum enim verò, ut nihil dicam de Minori, quam probare instituunt arg. divers. tt. ω. C. & X. ipsaque, ad quam provocant, experientiâ; Major certè non est simpliciter universalis, quum casus reperiantur non pauci, ubi non communis, sed propria verborum acceptio in statutis attendenda, præcipuè cum illa Juri communi derogant arg. c. cum dilectus. 8. X. de consuetud. c. 28 de R. J. in 6to. l. 14. de LL. (ρ)

ω. Cui adfurgit Mynsingerus ad rubr. n. 8. X. de fid. Instrum. Ummius ad Proceß. 17. th. 1. n. 1. p. Gailius 2. obs. 33. n. 9. §. 124. n. 7. seq. B. Carpzovius 3, 20, 11 num. 6. seq.

§. 11. Examinatis ita Wesenbecii modo quodam hinc alieni & Lanfranci rationibus, existimaverim, quemadmodum in doctrinali Juris communis interpretatione, quâ in cum dextra illius ad casus obvenientes applicatione potissimum Jcti officium consistit,
primus

primus quidem locus est explicatoriae: non aliter enim à significatione verborum recedi oportet, quàm cum manifestum est, aliud sensisse disponentem l. 69. de Legat. 3. & cum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis questio l. 25. eod. Conf. l. 7. §. 2. de supell. legat. Sed tamen & pro materiâ subjectâ aliisque circumstantiis ad extensivâ & restrictivam interpretationem non nunquã est deveniendum: ita consimilem interpretandi rationem custodiendâ quoque in Statutis, atque aded, thesin ἐπιτομικῶς transferendo ad hypothesein, si in illis de Instrumentis nonnulla sanciantur, quæ optima ratione & ex statuentium mente testibus quoque applicari possunt, sub voce Instrum. testes etiam comprehendi; sin ea testibus attribui nequeunt, illos quoque exinde meritò excludi. Το μὴ πρὸς τὸν νόμον, ἀλλὰ πρὸς τὸν νομοθέτην σκοπεῖν, καὶ τὸ πρὸς τὸν λόγον, ἀλλὰ πρὸς τὴν διάνοιαν τῶ νομοθέτου σκοπεῖν, ait Aristoteles i. Rhet. 13. 31. seqq. & Ulpianus in l. 3. §. 9. de adim. vel transf. legat. melius est, sensum magis, quàm verba amplecti. Conf. l. 2. §. 1. C. de Constit. pecun. l. 41 §. 1. de Jure dot. Bachovium & Ludvvellum ad Wesenbec. n. 1. lit. A. cum Paulo Busio ad l. 1. h. t. n. 4. quos heic seqvor: addatur omninò Jacob. Mæstertius tract. illustr. Jur. Mater p. 11. & Nicolaus de Passeribus loc. antè cit. p. 47.

§. 12. Rectè proinde Dd. contra Lanfrancum ad c. quoniam de probat. c. 9. n. 3. Jacob Butrig. in l. 1. heic, quos sequitur Treutlerus d. lit. b. Bornitius d. c. 2. n. 7. & Herm. Herm. ad Wesenb. n. 1. lit. b. concludunt, poenam, falsum Instrumentum producenti à statuto præstitutam, locum etiam habere in producente falsos testes. Utrobique enim partis malitiam justâ severitate coercere Statutum constituit. Hahnus d. l. Bachovius ad Treutl. l. c. qui & ibidem notat dicentes, quos inter & Bornitius d. l. n. 6 in factis antiquis probationem per testes non sufficere. Certè profectò si res aliqua antiqua æque per testes ac Instrumenta probari potest, nulla dabitur ratio, cur testes à probatione sint abarcendi; sin verò ejus est antiquitatis, ut omnium hominum excedat memoriam, nemoque superfit ampliùs, qui sciat factum, de quo agitur, nec quod ipse meminert, nec quod audierit eos, qui memoria tenuerint l. 2. §. 8. de aqua & aqu. plu. ; id quod nonnullis (aliis secus, & antiquum majus, vetus minus videtur) peculiari appellatione vetustum usurpatur,

patur, per testes utiqve non poterit probari, non tamen quasi ad id inhabiles, sed quia ex communi mortalitatis humanæ conditione haberi nequeunt. Et hinc quoq; est, quum olim in causa quadam probatio secundum tenorem cujusdam Statuti per Instrumenta dumtaxat postularetur, quod augustissimum Camerae Imperialis Tribunal nihilominus *secundum l. 18. C. de testib.* testes admisit, veluti testis est Mynsingerus *1. O. 5. n. 3. seqq.* Parilem in modum ubi per *l. 4. C. de re judicat.* res judicata ob Instrumenta de novo reperta retractari potest, poterit quoque ob testes: in exercendis enim litibus eandem vim obtinent Instrumenta & testium depositiones *l. 12. C. h. t.* quamvis in modo instruendi adsit diversitas: quin imò secundum Innocentium *in c. pen. X. h. t.* absurdum, plus fidei mereri pellem animalis mortui, quam vocem hominis. Confirmat hoc ipsum ejusdem supremi Judicii judicio idem Mynsingerus *4. O. 60. n. 10.* id quod tamen quoad sententiam ex jurejurando necessario prolatam *arg. l. 31. de jurejur.* & ob subornationis periculum; quum praeterea probatio per testes non semper ita evidens & expedita, ut per instrumenta, Setserus *tract. de juram. l. 4. c. 17. n. 9. 10.* Brunne-
mannus *Process. Civil. c. 23. n. 33. & ad l. 1. C. de reb. cred.* aliiqve non admittunt. Sic quum nemo adversario debeat Instrumenta subtrahere, tam ille, qui subripit Instrumenta, quam qui adversari-
parem Advocationis copiam subtrahit, iniquam ostendit à se litem foveri, & experiri debet in se Judicis auctoritatem elusam, consti-
tuyente Alexandro III. *in c. 4. X. de test. cog.* E contrario si publicatis testimoniis Judex, instrumentorum causa, dilationem tribuat, post illud tempus testes regulariter non admittuntur, adeoque sub instrumentorum nomine neutiquam continebuntur. vid. Alciat. *ad l. 99. de V. S. n. 19.* Alber. Gentil. *eod.* in quem commentarium fallor an-
non plus justo severior sit censura clarissimæ eruditionis Philologi Batavi *Observ. l. 4. c. 14.* Exceptiones cæteroquin suppeditabit Aym. Gravet. *Consil. 65. & 47. n. 4. & 5. Consil. 134. col. 3.* duo alia exempla in contrarium suggerit Hahnus *loc. supra cit.* Sed de Statutorum interpretatione plura qui nosse discupit, adeat Knipschild, *de I. & P. C. lib. 2. c. 10. n. 88 seqq.* Reinking. *de R. S. & E. lib. 2. cl. 2. c. 10. n. 23.* Rennemann. *Jurispr. disp. 17. eb. 5. 6.* Albertus à Rosate *lib. 1. q. 9. per tot.* Sebast. Medices *p. 3. q. 16. & p. 4. q. 31.* D. Richter *p. 1. Decis. 3. n. 6. seqq.*

seqq. Alber. Gentil. *Advocat. Hispan. lib. 2. c. ult.* Dav. Mævium
ad Jus Lubec. *Quest. pralim. 10. per tot.* Frantzius *disp. ad l. 1. C.*
quæ sit long. consv. membr. 1. concl. 5. & membr. 2. concl. 2. & Dd.
communiter ad l. 9. de just. & jur. & ad l. 1. C. de summ. Trinit. qvos
cum aliis longa serie adducit Mæstertius tract. supra laud. p. 12.
præ cæteris Alderan. Mascard. tr. sing. de Statutor. Interpretat. concl.
2. n. 1. & seqq. usq. ad n. 85. & concl. 12. per tot. Conf. Suaretz. *de LL.*
l. 6. c. 1. & seqq. Hopper. Seduard. lib. 4. tit. 16. seqq. cum aliis non
ignotis.

§. 13. Instrumenta in secunda acceptione aliis quoque variis
denominationibus in Jure veniunt. Ita appellantur ob materiam
tabulæ seu tabellæ, l. 27. pr. l. 31. §. 1. l. 32. de furt. l. 4. §. 3. fam.
ercisc. l. 19. qui test. fac. poss. l. 1. c. & C. de bon. poss. contra tab. &
tot. tit. de tab. exhib. codices, l. fin. C. h. t. codicilli, l. 7. §. fin. C. de
Codicill. chartæ seu chartulæ, l. 20. l. 21. C. h. t. l. 13. de donat. à for-
mâ scripturæ, l. 14. C. h. t. l. 16. de donat. l. 5. C. si cert. petat. literæ,
l. 26. de constit. pecun. l. 134. §. 2. de V. O. l. 57. de donat. inter vir.
& uxor. breves l. ult. C. de conven. Fisci debit. l. 1. C. de exact. trib.
& l. fin. §. 1. in fin. C. de appellat. ex fine & effectu monumenta, l. 10. de
probat. l. 3. §. 2. de testib. munimenta, c. 1. vers. post hoc. de appellat.
in 6to. documenta, l. ult. C. de donat. N. 8. c. 8. pr. Nov. 44. pr. N.
49. c. 2. pr. & §. 1. N. 73. c. 7. §. 1. & c. 33. c. 12. quest. 2. passimq. ali-
bi. cautiones, l. 22. C. ad SCt. Vellej. l. 5. fam. ercisc. l. 32. §. 1. de ad-
ministr. & peric. tut. l. 15. l. 25. §. fin. l. 27. de probat. l. 40. princ. de
minor. l. 41. de Judic. l. 27. de furt. l. 40. de reb. cred. securitates, l. 14.
§. 2. C. de N. N. P. per Metonymiam contractus, l. 17. C. h. t. N. 44.
obligationes, l. 47. §. 1. in fin. de pact. & l. 7. C. de N. N. P. Nostro
idiomate Brieff und Siegel / schrift- oder briefliche Urkunden /
Documenten oder Schriften / dadurch die Handlung und Willen
der Menschen / damit sie nicht in vergessen gesetzt / in ewiger Gedäch-
niß behalten / und befestiget werden / ut loquitur Divus Maximilia-
nus I. von den Notarien / zu Cölln de Anno 1512. pr. verl. aber nach-
dem.

§. 14. Describi potest in hoc significatu Instrumentum ex l. 5.
C. de transact. scriptura ad rerum gestarum fidem comprobendam
facta. Sunt inter Dd. qui principem & perfectissimam Instru-
mento-

mentorum speciem heic tantum finiunt, quod non simpliciter de-
culpo; hæc enim ratio definiendi ea, quæ *περὸς ἐν ἢ ἀφ' ἐνὸς* dicun-
tur, uti ex definitione demonstrationis 1. Post. 1. civis 3. Polit. 1. alio-
rumque non potest non esse perspectissimū; sed nec nos reprehen-
demur, ita confidimus, quod in definiendo ad literariorum Docu-
mentorum totum ambitum complexumque, ut nobis quid notius,
respeximus: non minus Philosophum in definitione consimilium
sectati. Πέφυκε γὰρ ὅτι τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἢ ὁδὸς καὶ σαφέστε-
ρων, ὅτι τὰ σαφέστερα τῆ φύσει καὶ γνωριμώτερα. ὃ γὰρ ταῦτα ἡμῖν
τε γνώριμα καὶ ἀπλῶς. 1. Phys. 1. conf. 1. Eth. 2. 1. Post. 2. 2. de anim.
2. 12. 7. Met. 4.

§. 15. Divisiones Instrum. nonnulli ita contortiplicant, ut
vix scias, quæ expeditior & inter cæteras sit præripienda. Qvi-
dam ad similitudinem obligationum §. ult. 1. de obligat. & Feudo-
rum 1. F. 2. §. 1. & 2. F. 48. & 31. dispeſcunt primò Instrumenta in
propria, quæ naturam propriam; & impropria seu quasi, quæ verã
formam ac qualitatem Instrumenti propriè dicti non habent, sed
ex quadam analogiã ratione effectus propria tantum imitantur,
qualia ipsis habentur schedæ incisæ, die aufgeschnittene Zettel / &
bacilli fissi, die Kerbhölzer. Sed cum secunda vocab. Instrum. ac-
ceptio heic tantum curæ, secundum quam schedulæ incisæ, quas
alii vibratas, formatas, dicatas, chartas partitas nuncupant, qua-
rumque formam descriptam exhibet B. Carpzovius, 2, 4, 7, num. 3.
vera sunt Instrumenta, non impropria; verè autè impropria, quæ
inter regulariter meritò retuleris dictos bacillos fissos seu scissos,
(tales etiam & tesseras ligneas vocant) duo scilicet illa ligilla, quo-
rum unum ab altero sic recisum, ut juncta veterem totius referant fi-
guram: utrique verò unã cesurã numerus inciditur, ut, sulci si jun-
gantur, probè respondeant, nec vel creditor, qui ligillum unum reti-
net, plus valeat incidere, nec debitor insisa radere: quia si non in u-
troq; sit vel incisum, vel rasum, continuo fraus compareat: primam
& generaliore respectent; hæc Instrumentorum divisio equidem
huc propriè parum pertinet, sed impropria inter Instrumentorum
cognata erunt examinanda. Verum cum delibanda superent
alia, & hoc Juris Civilis præter opinionem nimium quantum in-
creverit, Plato heic jubet quiescere. Si tamen animã exsuperabo
mã, nobilissimam pariter & utilissimam hanc Instrumentorum
mate-

materiam curatiùs & *ὡς ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ* elaboratam, jam tūm
pleramqve partem à me exasciatam, alio tempore, si merebitur, pu-
blicabo. Nunc verò ad:

JURIS CANONICI

§. I.

Jure Civili ex nudo pacto (α) non generari actionem,
πολυπύλλητον est, & expressè habetur in l. 7. §. 4. & 5. l. 27.
§. 2. l. 45. ff. de Pact. l. 13. l. 21. l. 28. C. eod. l. 1. C. de pact. convent.
l. 15. de prescript. verb. l. 3. C. de rer. permut. add. l. 27. C. de locat.
l. 5. §. 2. de solut. Dissentit tamen Mœstertius d. l. dubitat. 31. & 33.
quod heic non exputo. Quamvis autem Marquardus Freherus,
celeberrimi nominis Jctus & Polyhistor, *Decis. Areopagitic. c. 9.*
p. 38. & seqq. hanc Juris Civilis dispositionem acriter perstringat,
& inter fontica maximè ac tabifica Juris Romani ulcera recenscat;
plurima tamen sunt, quæ sapientissimos Juris Civilis Auctores
contra hanc paulò iniquiorem censuram justissimè tuentur β.

α. Quod h. l. ita nominatur non ratione traditionis, quo
sensu venditio quoque, utpote quæ solo *consensu* perficitur, nec
ad sui substantiam rei traditionem efflagitat, pactum nudum dici
potest l. 20. C. de pact. quamvis hac l. 20. pacta nuda ut genera
contractuum sumantur, v. *Wesenb. Cod. de Pact. ad d. l. 20. n. 20.*
p. 213 sed intuitu auctoritatis & potestatis efficaciter sese obligan-
di. Vid. Covarruv. *part. 2. relect. c. quamvis, de pact. in 6. §. 4. n. 18.*
conf. Mæstert. *lib. 1. de Justit. Roman. LL. dubitat. 33.*

β. Vid. Dn. D. *Schuv. Exercit. 1. th. 58. & Exerc. 6. th. 7. & 14.*
Covarruv. *d. §. 4. n. 21. & ex eo Canisius ad c. 1. X. de pact. n. 4.*

§. 2. Moribus nostris secus esse, & nudum quoque pactum
seriò initum actionem, conditionem puta ex consuetudine seu
moribus γ producere, attestantur Wesenbecius, Carpzovius,
Richterius; Vinnius, aliiqve δ id quod tamen adhuc in dubium
vocat Ludvvell. *Exercit. 11. th. 2. lit. c.* & disputat Dn. D. Strauchi-
us, Ex Antecessor Salanus, ac hodiè Cancellarius perpetuus
Giessensis, *Jur. Justin. 12. 10.* Illud omninò videretur, non exaudi-
endam scilicet dictam consuetudinem de pactis contractuum præ-
paratoriis, quæ ineuntur de futuris contractibus, innominatis
præsertim, & obligationibus denum constituendis, sine animo in
præsens efficaciter sese obligandi α.

γ. arg.

min 7. arg. l. unic. de condict. ex lege. *Wesenbecius de pactis n. 10. ibiq; Habnins, B. Carpzov. p. 2. c. 19. d. 7. § 8. seq. const. 32. d. 10. n. 9. § p. 3. c. 5. d. 22. num. 2. Joh. Richter. ad l. 13. C. de pactis n. 26. Vinnius tr. de pact. c. 7. n. ult. Christinaeus vol. 2. dec. 91. n. 1. § 2. Gernevveg. ad l. 10. C. de pact. Zoësius ad tit. X. eod. num. 6.*

6. Vid. Carpzov. p. 2. e. 33. d. 23. Besold. ad l. P. W. p. 2. t. 20. th. 136. Dn. D. Struv. d. Exerc. 6. th. 17. & in primis Dn. D. Lauterbachius, tract. de Arrha, th. 103. seq. Diss. Groenevveg. ad l. 3. C. de rer. permut. Gudelin. de J. N. l. 3. c. 5. Gometz. tom. 2. c. 8. n. 4.

§. 3. Jure Canonum quid obtineat, res est controversiosa. Covarruvias, Gregorius Lopetz, Bachovius, Vinnius, Moestertius, & alii nonnulli, etiam hoc Jure ex nudo pacto actionem sciscunt, inducti potissimum (I) c. 1. & 3. X. h. t. ex quibus ita ratiocinantur: Si pacta nuda transiens sentire debet disciplinam Ecclesiasticam, sequitur, Pontificem pacta nuda etiam servari velle; sed verum prius per d. c. 1. E. si jam, inferunt porro, Pontifex pacta nuda vult servari, sequitur, Jure Canonico dari etiam ad id obtinendum actionem, sed verum prius per precedentia & d. c. 3. E. Consequentiam exinde confirmant, quod Pontifex non posset dici efficaciter illud velle, nisi & actionem, quâ, tanquam remedio, illud obtineri potest, dedisset. (II) Arg. c. cum contingat. 28. X. de jurej. c. 9. eod. junct. c. 12. c. 22. q. 5. locisq; aliis, unde ita colligunt: Si ex pacto nudo, jurejurando confirmato, datur actio, dabitur quoque ex pacto simpliciter nudo; sed verum prius per d. c. 9. & 28. X. de jurej. E. & posterius. Consequentiam probant ex d. c. 12. c. 22. q. 5. ubi ita Chromatius n: *Juramenti hac causa est, quia omnis, qui jurat, ad hoc jurat, ut, quod verum est, eloquatur, Et ideo Dominus inter juramentum & loquelam nostram nullam vult esse distantiam: quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam; ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium: quia utrumq; & perjurium & mendacium divini judicii poena damnatur & c.*

§. Covarruv. d. 8. 4. n. 24. Gregor. Lopetz. i. anim. 6. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 6. th. 9. lit. b. ejusque non infidus sectator Vinnius d. tr. c. 7. n. 4. & 5. Mæstert. d. l. dubitat. 32. n. Sic ante Romanam editionem non tantum h. l. sed & de po-
nitent.

nitent. d. 1. c. 41. non pot. st. &c. atque de Consecrat. d. 4. c. 4. & 10. emendaverat Ant. Augustino 1. de Emendat. Gratian. Dial. 3. quum antea literarum similitudine legeretur Chrysostomus.

§. 4. Contrarium propugnant Cujacius, Ant. Faber, Alciatus, Connanus, Canisius, Zoësius, Forcatulus, Ludvvell, Strauch, Lauterbach θ ; Nec sine ratione & fundamento. Expedit enim concordare jura juribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari, c. 29. de Elect. in 6to, nullaque in dubio Jus Civile inter & Canonicum statuenda est differentia arg. c. 1. X. de nov. oper. nunc. (1), versamur autem heic maximè in dubio, quum textus expressus, qui differentiam quandam hoc in negotio inducat, deficiat. Nec officiunt argumenta, quibus prior sententia suffulciebatur.

θ . Cujacius ad c. 2. vers. notand. de Sponsal. Ant. Fab. ad l. 7. §. 7. h. t. Alciat. 5. paradox 3. Connan. 5. 3. Canis. ad d. c. 1. & 3. Zoësius, X. h. t. n. 6. Forcat. dial. 69. Ludvvell. d. 1. Strauch cit. th. Lauterbach ad tit. de pact. n. 11. (1) Rittershusius proem. de diff. Jur. Civ. & Canon. Arth. Duck. de auctorit. Jur. Civ. l. 1. c. 7. n. 13.

§. 5. Ponamus enim [a] prosyllogismum, qui desumebatur ex d. c. 1. X. h. t. negamus tamen in principali consequentiam. Certè & Prætor fidem fallere grave judicat l. 1. pr. de pecun. constit. & pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus LL. Plebiscita, S. Cta, Edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, se servaturum edixit l. 7. §. 7. h. t. neque tamen ob id ex pacto nudo Jure Prætorio actio est constituta κ . Regerunt equidem, quod maxima inter Pontificem & Prætorem intercedat diversitas, illeque summus & ἀντιθέου ρ sit Princeps, & quando aliquid vult, efficaciter velle censeatur; Prætor verò tantum minister & officialis, tantamque facultatem voluntatem suam efficaciter explicandi non habeat; quod non simpliciter ibo inficias; sed tamen expeditissimi quoque Juris est, Prætorem non tantum adjuvare, verum etiam, propter utilitatem publicam, supplere, & rigorem ad æqvitatem reducendo, Jus Civile corrigere, adeoque, quemadmodum alias extensivas & suppletivas, ita vulgò vocant, actiones plurimas introduxit, ex pacto quoque nudo, æque ac Pontifex, si voluisset, actionem nominatim concedere potuisse λ ; præsumptio verò efficaciam voluntatis Pontificiam militabit etiam hoc in casu pro efficacitate Prætoriam μ . Nec firmitudo est in probatione consequentiam, cum alia præter actionem suppetant legitima remedia, quibus datur promissa indipisci, uti vel ipso d. c. 1. in conspectu ponitur.

C

κ . Vid.

vid. Zoësius d. l. λ. vid. l. 7. §. 1. de J. & J. & Dd. communiter
ad tit. de O. l. & de LL. conf. Pancirol. 1. var. 34. & 2. c. 12. μ. Salicet.
ad l. 10. C. h. t.

§. 6. Deinde [b] nec antecedens profyllogismi ex d. c. 1. & 3. X. h. t.
hactenus solidè est approbatum. Unde enim constat, agi tibi de pactis
nudis, cum vox pacti sit speciei & generis, interdumque pro quavis con-
ventionem accipiatur, & quod præcipuum, atque ex can. 12. Concil. Car-
thagin. tempore Julii I. Rom. Episcop. in Africa celebrati, unde hoc ca-
put est decerptum, innotescit, pactum illud inter Antigonum & Optan-
tium Episcopos factum, de quò in d. c. 1. in scripturam redactum atque
utriusque subscriptione fuerit munitum. Et quid impedit, quò minus
cum Forcatulo d. l. & cum Venerando nostro Ordinario Dn. D. Ziegler-
ro, qui etiam negativè subscribit, vocabulum conventus in d. c. 1. no-
minaliter de Conventu Ecclesiasticò, Conciliò, Synodò, disciplinam de-
cernente accipiamus? Ineptum equidem hoc videtur Bachovio, sed
præterquam, quod ita commodior longè verborum evadet sensus, pro-
fectò nulla etiam cæteroquin interpius & posterius membrum per al-
ternativam facta esset oppositio, cum vel maximè per actionem efficia-
tur, ut inita pacta suam firmitatem obtineant. Et quid prætereà opus
fuiisset, ut Optantius de novo in iudicio conveniretur, cum jam tum ab
ipso Concilio sententia contra eum fuerit pronunciata? Consulatur
incomparabilis noster Zieglerus, - - - meritò cui doctior orbis
submissis defert fascibus imperium.

Vid. Bachov, ad Treutl. vol. 1. disp. 6. tb. 1. lit. A. §. Canisius ad d. c. 1. n. 6.
o. Dn. D. Zieglerus, Jur. Canon. ad Lancelloti Institut. explicat. tit. de
pact & transact. p. 711.

§. 7. Quod verò d. c. 3. concernit, illius sensus & scopus longè a-
lius est, quàm vulgò opinantur, veluti ex Gregorii Magni Epist. 38. lib. 8.
unde est delibatum, more suo accuratissimè præter oculos d. l. ponit
Magnificus noster Zieglerus, omninò cum cura evolvendus. Et licet
illius ea esset sententia, quam supposititia inscriptio prodit, & dissentien-
tes prestant, nondum tamen probaret id, quod debebat, cum verbū,
promittuntur, non necessariò de simplici & quibuscunque verbis facta,
sed vel maximè de solenni & præcedente interrogatione subsequuta
promissione arg §. 6. I. de inutil. stipulat sit accipiendum. Urget qui-
dem Bachovius d. l. rubric. & quod arg. illius verbum, promittuntur,
fatis

fatis incommodè ad stipulationes referatur; ast hoc cerebrum non
comminuet(π.) Et licet solennitatem illam verborum non attendat Jus
Canonicum, quod porro regerit Bachovius, non tamen ob id omnis dif-
ferentia pactum nudum inter & stipulationem erit sublata. Certè & Ju-
re civili post constitutionem Leoninam l. 10. C. de contrah. & committ.
stipul. vetus illa verborum solennitas, de qua in § 1. Inst. de V. T. exspiravit,
minimè tamen interrogationis & responsionis, adeoq; inter nudū pactū
& stipulationem quod est discrimen. Hæc ad fundamentum primum.

π. Vid. Everhardi *Top. loc. à rubr. ad nigr.* Schickardi & Vigelii *Le-
gic. Jurid. loc. sol.*

§. 8. In argumento, ex d. c. 28. X. de jurej. & aliis textibus petito,
negamus (I) itidem consequentiam: neque eam constabilet d. c. 12. c. 22.
q. 5. committitur enim in illatione fallacia à dicto secundum quid ad di-
ctum simpliciter: & quando inibi loqvela simplex & Juramentum æqui-
parantur, quod, & qui simpliciter falsum dixit, & qui juratus, proxi-
mum fallat & Deum offendat, veluti ex ipsis verbis satis evidenter
paret: extenditur comparatio illa à dissentientibus ultra terminos, &
omnimoda utriusque *ισοδυναμία* contra Juris Canonici analogiam ma-
lè fabricatur (ρ) Ο ὅρκος, αἰτῶν *Simpliciter, μαρτυρεῖ τὸν θεὸν καλεῖ, καὶ μέ-
σι τὴν αὐτὸν καὶ ἐγγυητὴν ἐφ' οὗ λέγει περιχέεται, καὶ πᾶν μᾶλλον ὑπο-
μείναι κάλλιον ἢ παραβῆναι τὴν ἀπὸ θεοῦ μέσση γενόμενὴν ὁμολογίαν.* (σ)
Certè si *ισονομία* illa firmò consisteret talo, nulla aut exigua Juramento-
rum efficacia hoc Jure foret, & depositio testis, renunciatio hereditatis
paternæ vel maternæ, alienatio dotis valeret sine jurejurando, quæ o-
mnia Juri Canonico sunt difformia, & c. 51. de testib. c. quamvis, 2. h. t. in
6to, & c. 28. cū contingat. in fin. de jurej. adversis frontib; obnituntur.

ρ. Vid. Covarruv. *part. 1. relect. d. c. quamvis. §. 2. n. 1. & 2.*

σ. *Simplic. ad Epiet. c. 44.*

§. 9. (II.) Dubiosum quoque maximè antecedens, nec allegata capi-
tula illud solidè confirmant. Quantumvis enim Jure Canonico, qui
jurando quippiam promissit, ad præstandum promissum officio Judicis
& censura Ecclesiastica compellatur c. fin. de for. compet. in 6to, nondū
tamen exinde sequitur, à tali quoque jurejurando, quæ tali, prodire acti-
onem, veluti hæc solidissimè deducit aliorumque calculo comprobat
D. Lauterbach. *ad tit. de juram. p. 33. seqq. & 53 seq.* Dissentit Covarruv.
d. §. 2. n. 5. seqq. Et hæc etiam ad fundamentum alterum.

§. 10.

§. 10. Quæ aliàs pro contraria sententia ex præsumptionibus pro-
ducuntur, quod videlicet Jus Canonicum divinum naturalemque æ-
quitate, quæ omnes pactiones firmæ sunt & validæ, in primis sectetur;
aut contraria fortiori ex d. c. 1. X. de nov. oper. nunc. refelluntur; aut hoc
saltem inferunt, ejusmodi pactiones Jure quoque Canonico firmas esse
& validas; ut autem id propter ex iis actio detur, nondum exinde sequitur.

§. 11. Quid verò hoc in casu Juris Naturæ & Gentium, ostendit H.
Grotius l. 2. de J. B. & P. c. 11. & explicabitur ex justitiæ, veritatis &
naturæ Fidei alibi prolixius.

C O R O L L A R I U M:

An genuinæ & solidæ sint rationes promerendi vel conservandi
favoris Dominici, † quas Sirius ut principales & ordinarias laudat:
1. *Parlare al gusto del Principe*, 2. *Applaudere à tutto quello ch' ei dice*,
3. *Ammirare quanto fa*, 4. *Approvare consomme lodi quanto ei vede*? Ar-
bitramur hæc talia artificia placere tantum posse Dominis, qui specie
virtutis delectantur, & umbram potius quam corpore; nec durare grati-
am his artibus quæsitam. Longè aliis modis Magnatum gratiam quæsi-
verunt & adepti sunt pii Aulici, nempe veræ pietatis & reliquarum vir-
tutum studio, ut alibi ostensum est, Deus n. piorum Principum animos
piis aulicis conciliat Dan. l. 9. Tob. XIV, 17. *ibi: Und alle sein Geschlech
blieb im heiligen Wandel und Leben, also / daß sie angenehm waren für
Gott und den Leuten; Congruit locus Exod. XI, 3. & XII, 36. Eccles. VI, 12.
Wer ein treu Herz und liebliche Rede hat, des Freund ist der König / ait
Salomon Prov. XXII, 11. wer der Gerechtigkeit nachjaget der wird gelies-
bet. Idem c. XV, 9. Agnovit id etiam Autor Comment. qui inscribitur
L'Advertissement à Monsieur de Luynes a son avancement en faveur
aupres du Roy, après la mort du Marechal d' Ancre. *ibi: Le Roy n'en
est que l'instrument, puisque par luy les Rois regnent & qu'il tient, leur
coeur en sa main, les penchant ou il luy plaist. Il a porté celuy du Roy à
vous aimer & vous à preferer pour vostre bon naturel à tant d'autres qui n'
estoyent qu'en apparence plus accomplis que vous. Add. le Contadin Pro-
vençal p. 1. Liph. l. 3 Pol. 9. in Not. Piccart. decad. 5. obs. 1. Amirat.
lib. 5. c. 1.**


† Nervesio 10. histor. p. 256. appellat *L'art. d'acquerir. les coeurs.*
Sirius, Tom. 2. histor. sui temp. l. 2. p. 567.



X2615923

1717







ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ
JURIS CIVILIS
&
CANONICI,
IN ELECTORALI SAXONICA
PUBLICE PROPOSITA
PRÆSIDE
JO. FRID. SCHARFIO, J.U.D.
RESPONDENTE
CHRISTOPHORO KEMPIO,
H. L. Q. C.
AD D. XXIIX. APR. c̄l̄o l̄oc̄ LXXVII.
WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.